

tum singula singulis, tum bina binis, multo viciniora, quam in speculis planis, incidere oporteat; siquidem in distantiora incidentes, reflexis suis portionibus F E & G K &c. ad oculum non excurrerent, sed ultra vel cis ipsum proveherentur: Id quod rem secundum reflexionum quærendarum regulas tentanti manifestum erit. Hoc modo vero quia radii bini quicumque, ex eodem puncto C v. gr. egressi, C F & C G post reflexionem magis divergunt, suaque inclinatione mutua semper majorem comprehendunt angulum & minus paralleli ad oculum accedunt, quam si e speculo plano, positus iisdem circumstantiis, ad eundem reflexi essent; (id quod patet ex fig. 6. ubi differentiam monstramus, inter eos radios qui plano speculo A B & convexo *a b* illidunt; hos nempe post reflexionem magis dispersos, minusq; parallelos, minores facientes angulos; illos magis parallelos & minus divergentes) ideo in illo radii retro producti in justæ distantiae loco, in hoc vero citius propiusque concurrunt. Quo minores ergo fuerint radiorum incidentium, & consequenter majores reflexorum, magis divergentium, anguli, eo propinquius semper imago intra speculum repræsentabitur: quo minora autem sive minoris sphaeræ fuerint specula, eo minores quidem radii incidentes, sed eo majores etiam reflexi facient angulos, & propterea (quia versus oculum magis divergunt, versus speculum autem magis convergunt, & consequenter citius coeunt) propius objecta speculo sistent.

§. VI.

Sequuntur jam phænomena quæ cavis exhibentur speculis, quæ ad duo genera reduci possunt, vel enim reperitur locus imaginis pone speculum vel ante illud,  
illius